



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

70. Motu proprio &c. Constitutio qua plura disponuntur, & ordinantur in  
favorem Artis Agrariæ, & eam exercentium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissio, & formâ in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis aliâ in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hæc vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel offensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annullo Piscatoris die xvii. Martii 1714. Pontificatus nostri Anno xiv.

F. Oliverius.

Fides habenda transumptis.

LXX.

CONSTITUTIO

Qua plura disponuntur, & ordinantur in favorem Artis Agrariæ, & eam exercentium.

CLEMENS PAPA XI.

Exordium.

**M**Otu proprio &c. Inter gravissimas Pastoralis officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut hæc nostra Alma Urbis, ad quam quotidie tanquam ad Principis Apostolorum Sedem, & communem omnium Christianissimæ Patriam, catholicæ omnes Nationes confluant, & quam Nos quantum in Domino possumus, ac misera presentium temporum conditio patitur, commodis omnibus atque ornamentis instruere, & augere jugiter satagimus, non solum rei frumentariæ inopia nequaquam laboret, sed feliciori in dies uberitate perfruatur.

Paulus V. sollicitus de arte agraria restituenda plura disposuit in favorem Agricultorum Mercatorum & Colonorum.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster, ut prospero Annonæ, & Græciæ ejusdem Urbis regimini oopportune consuleret, potissimum verò Artem Agriculturæ in illius Territorio, ac districtu, nec non Latii, Campaniæ, & Maritimæ Provinciis resitueret, ac ampliaret, specialem Congregationem nonnullorum Prælatorum, & aliorum Vitorum, in qua scilicet tunc, & pro tempore existentes Thesaurarius Generalis, Annonæ Præfectus; Græciæ Præses, Cameræ Apostolicæ Commissarius Generalis, ac ulterius q. Jo. Baptista Costaguta ejusdem Pauli Prædecessoris Familiaris interesse deberent, ibique potissimum de Arte Agriculturæ restituenda, & augenda, nec non de statu Annonæ, & Græciæ hujusmodi, rebusque omnibus illas concernentibus invicem conferrent, tractarent, & diligenter perpenderent, eidemque Paulo Prædecessori quicquid ab ipsis resolutum fuisset referrent, erexit, atque instituit; Ac subinde alia plura, eodem consilio disposuit, & ordinavit: inter cætera verò, ut Agriculturæ Artem exercentibus, quò facilius Arci hujusmodi incumbere, pecuniaque minori interfusio habere possent, opportuna aliqua subventionem succurrere volens, tunc existentibus Provisoribus, ac Ministris Sacri Montis Pietatis Urbis districtè mandavit, ut eulibet Agricultori usque ad summam mille scutorum monetæ, seu aliam ab eodem Annonæ Præfecto ordinandam, recepto emolumento duorum pro centenario nomine meriti, seu aliâ ab aliis ratione expensatum sol-

vi consueto, nec non accepto idoneo, & sufficienti pignore, aliisque ejusdem Montis legibus, & institutis adimpletis, & observatis, de licentiâ Præfecti Annonæ prædicti subministrare deberent. Ac insuper omnibus Agricultoribus, Mercatoribus, & Colonis, qui tam in propriis, quam in alienis, & conductis terris in Territorio, & districtu Urbis, nec non Latii, Campaniæ, Maritimæque Provinciis hujusmodi Agriculturam exercuissent, & sementem fecissent, singulis annis, quibus pretium, & valor frumenti communiter in eadem Urbe per ipsos Agricultores, & Mercatores vendendi à tempore messis, & recollectionis usque ad Kalendas Martii cujuslibet anni summam Juliorum quinquagintaquinque in singula Rubra non excessisset, quintam partem totius frumenti per ipsos eodem anno recollecti, deducto tamen semine, ad quævis loca, præter Infidelium, & S. R. E. hostium; terrâ, marique liberè extrahendi, & transportandi seu extrahi, & transportari faciendi facultatem concessit: prævio tamen Chirographo ab eodem Paulo Prædecessore subsignando, ac solutis prius Cameræ nostræ Apostolicæ, tunc suæ, Julii quinque pro quolibet Rubro extrahendo, & aliâ prout in Cedula motus proprii memorati Pauli Prædecessoris desuper expeditâ, ac die xix. Octobris 1611. publicatâ, cujus tenorem presentibus &c. pro plenè &c. volumus, uberius continetur.

§. 2. Cùm autem novissimè, nempe à mense Septembris anni mox elapsi, peccatis nostris graviores in dies calamitates promerentibus, non sine ingenti paterni cordis nostri dolore, mortiferâ bovum pestilentia per Urbem illiusque districtum, ac provincias prædictas immaniter grassante, integra penè armenta interierint, adeo ut peremptis animalibus, de quibus ineffabilis Dei providentia laboribus hominum solatia subrogavit, agrorum culturam planè deseri, terrasque in proximè præterito Autumno minimè feri contigisset, nisi Nos tam frumento, quàm pecuniis per dilectum filium Annonæ Præfectum abundè subministratis, Agricultorum noxiam sublevassemus, aliisque opportunis, ac salubribus provisionibus ei, quam benedicente Domino speramus, futurâ messis ubertati consuluissemus; tempus verò, quo agri ferendis frumentis proventuri anni 1715. messe destinati aratro proficisci debent, jam advenit: domini tamen prædiorum, Mercatores, Coloni, aliique Artem Agriculturæ prædictam exercentes ob ingentia damna, quæ ex suorum animalium jacturâ passi fuerunt novo indigeant paternæ providentiæ nostræ subsidio, ut expensas pro emendis bobus, & laboreris necessariis faciendas subire valeant.

Narratidiram boum pestilentiam, & damna inde in Agriculturam profecta.

§. 3. Hinc est, quod Nos publicæ causæ nullâ ex parte deesse, nostrorumque, & Apostolicæ Sedis subditorum commodis peramplius providere volentes, motu simili, ac ex certâ scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cedula motus proprii Pauli Prædecessoris supra dictam, quoad ea, quæ presentibus non adferantur, ac usu recepta reperiuntur, earundem tenore presentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & præsidium adjungimus.

Confirmat disposita à Paulo V.

§. 4. Præterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus Congregationem Prælatorum à præfato Paulo Prædecessore, sicut præmittitur, institutam, cui scilicet dilecti Filii nunc, & pro tempore existentes Thesaurarius noster Generalis, Annonæ Præfectus, Græciæ Præses, Commissarius Generalis Cameræ nostræ prædictæ, ac loco q. Jo. Baptista Costaguta ab eodem Paulo Prædecessore deputati Præceptor

Congregationem instituat à Paulo V. erectam pro re agraria, & Agricultoribus suppeditari mandata scuta centum milia cum certis cautelis.

Archihospitalis S. Spiritus in Saxia interesse debeant harum ferie renovamus, ac quatenus opus sit de novo erigimus, & instituimus. Eisdemque Congregationis toties, quoties opus fuerit, habenda facultatem concedimus, & impartimur, ut iisdem Agricultoribus, Mercatoribus, & Colonis, aliisque Artem Agriculturae praedictam exercentibus, ac sive proprios, sive alienos, & conductos agros in Latii, Campaniae, & Maritimae Provinciae praedictis colere, & ferere volentibus, pecunias necessarias pro novis terris proficindendis, aliisque laboreris perficiendis pro messe dicti venturi anni millesimi septingentesimi decimi quinti a dilectis Filiis Provisoribus, & Ministris Sacri Montis Pietatis, nec non Mensae nummulariae S. Spiritus in Saxia usque ad summam centum millium scutorum monetar, nempe medietatem ex dicto Monte Pietatis, & aliam medietatem ex dicta Mensa nummularia Sancti Spiritus, cum licentia ab eodem Annonae Praefecto subscribenda, ac Provisoribus, & Ministris Montis, & Mensae nummulariae praedictis dirigenda subministrari curent & faciant, unicuique scilicet pro ea summa, quae iuxta cuiusque Agricultoris, & aliorum praedictorum indigentiam, & idoneitatem eidem Congregationi congrua, & opportuna videbitur, ac cum cautionibus pro indemnitate Montis Pietatis, & Mensae nummulariae huiusmodi ab eis, qui pecunias acceperint, praestandis, ac a praefata Congregatione (extra tamen illius periculum, seu damnum) recognoscendis, & approbandis.

§. 5. Caterum, ut facilis subministratio dictarum pecuniarum Agricultoribus, & aliis praedictis fieri possit, volumus, & mandamus, ut pro ea quantitate, quae ejusdem Congregationis arbitrio, intra tamen summam dd. centum millium scutorum monetar, Agricultoribus, & aliis praedictis sumministranda erit, solvi debeant quotannis usque ad restitutionem summae subministratae, Monti Pietatis, & Mensae Nummulariae praedictis scuta duo pro quolibet centenaria nomine meriti, seu expensarum, quas tam Mons Pietatis, quam Mensa nummularia huiusmodi pro salariis Ministrorum, & Officialium sustinere coguntur.

§. 6. Demum Agricultoribus, & aliis praedictis, ut alacrius laboreria necessaria pro serendo frumento in proximè futuro Autumno perficere, ac complere valeant, quintam partem frumenti (detraeto tamen semine) in subsequenti messe Anni millesimi septingentesimi decimi quinti per ipsos recolligendi ad quavis loca, praeter Infidelium, & S. R. E. hostium terram, marique libere extrahendi, & transportandi, seu extrahi, & transportari faciendi gratis, & absque ulla solutione tracta Camerae nostrae Apostolicae solvi solita, expedito tamen prius Chirographo per Nos signando, ac solutis emolumentis Officialibus, & Ministris Cameralibus pro ejusmodi licentiarum expeditione debitis, licentiam concedimus, & impartimur; Dummodo tamen sive pretium, & valor frumenti tunc currens, sive alia temporum circumstantiae eidem paternae charitati, qua Subditorum nostrorum commodis consulere cupimus, aliter non suadeant. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices &c. sublatam &c. judicari, & definiri debere, ac irritum &c. decernimus.

§. 7. Mandantes etiam Congregationi, & Deputatis praedictis, ac praesertim Annonae Praefecto, ut praesentes nostras literas, & in eis contenta quaecumque observent, & exequantur, & ab aliis, quantum in eis erit, condignam poenarum inflictarum animadversione, aliisque opportunis juris, & facti remediis firmiter, & inviolabiliter observari faciant, & curent. Dantes eis, ac praecipue eidem Annonae Praefecto, in pra-

missis, & circa ea plenam, & omnimodam facultatem, & potestatem.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostram, & Cancellariae Apostolicae Regulae de iure quaesito non tollendo, ac rec. mem. Pii Papae IV. etiam Praedecessoris nostri de gratis qualemque interesse Camerae praedictae concernentibus in eadem Camera intra certum tempus praesentandis, & registrandis, itaut praesentes literas ibidem praesentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Urbis, Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum quorumcumque, ac Montis Pietatis, & Mensae nummulariae Sancti Spiritus praedictorum, aliisque quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Consuetudinibus, Reformationibus, Decretis, Privilegiis, Indultis, & Literis Apostolicis Urbi, Provinciae, Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis, ac Sacri Monti, & Mensae nummulariae praefatae, illorumque respective Communitatibus, Universitatibus, Ministris, Officialibus, & aliis personis quibuslibet a Sede praedicta, vel a Nobis forsan concessis, ac etiam confirmatis, approbatis, & innovatis, quae eis, quoad praemissa nolumus suffragari, & quibus omnibus, & singulis, etiam si &c. illorum tenores &c. pro sufficienter expressis, & insertis habentes hac vice ad effectum praesentium dumtaxat, illis aliis in suo robore permanentibus, specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus etiam, quod praesentium sola signatura sufficiat, etiam absque alia data, & registratura, regula quaecumque contraria pariter non obstante, Et nihilominus litera in quavis forma expediri possint cum clausulis opportunis, praesentiumque literarum desuper forsan expediendarum transumptis etiam impressis, manu unius ex Camerae nostrae Apostolicae Notariis subscriptis, & sigillo alicujus, ex Congregatione praedicta obfignatis in iudicio, & extra plena fides adhibeatur. Placet motu proprio I. F.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quarto, Indictione septima, Pontificatus Sanctissimi D. Nostri Clementis Papae XI. Anno decimo quarto, die vero 24. Martii, supra dicta Cedula A. Notarii proprii publicata, & affixa fuit in magna Curia Innocent. Montis Cimatorii, in Aede Campi Florae, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Bartholomaeum de Camillis Apost. Curs.

Antonius Placentinus Mag. Curs.

DECLARATIO

Nullitatis, damnatio, abolitio, & reprobatio Edicti promulgati à quodam Delegato asserti Tribunalis Monarchiae Siculae nuncupati super abrogatione Ecclesiastici Interdicti, cui Vicarius Generalis R. P. D. Nicolai Mariae Episcopi Liparenensis Civitatem, & Diocesim Liparen. in actu suae ab eis expulsiōnis per manifestum Secularis potestatis abusum secuta subiecerat, cum aliis diversis Ordinationibus, Decretis, & Declarationibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

AD Apostolatus nostri noticiam, non sine gravi paterni cordis nostri dolore, pervenit quoddam cum aliis dilectus filius Didacus Hurtado Ve-

Derogat amplissime in quibuscumque contrariis.

LXXI.

Narrat expulsiōnem Didaci Hurtado Vicarii Generalis Liparenensis in odium obedientiae praefatae mandatis Sedis Apostolicae secutam.

nc-

Agricultoribus pro anno tantum 1715. tractam gratis indulget quinta Partis frumenti ab ipsis recollecti.